



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

31. Charitas proximi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

P A S S U S XXXI.

Cognitio & Dilectio Chari-
tatis proximi.

T E X T U S.

*Hoc est præceptum meum, ut
diligatis invicem, sicut dilexi
vos. Joan. c. 15. 12.**Cognitio.*

Charitas proximi est virtus, quâ proxi-
mus, tam amicus, quàm inimicus
propter Deum diligitur. Hâc virtute dili-
git homo proximum sicut seipsum: id est,
in Deo, ad Deum, propter Deum; non ob
utilitatem, non ob aliam causam naturalem.
Sicut igitur homo sibi desiderat omne bo-
num, & fugit omne malum, ita faciat
proximo suo, in corpore & in anima, in
rebus & honore. Rationes ad hoc impel-
lentes sunt hæ: 1. Quia unum in cœlis Pa-
trem habemus; & unam Matrem sanctam
Ecclesiam. 2. Quia proximus est imago Dei,
æternæ beatitudinis capax. 3. Quia unius
corporis membra sumus, cujus Christus
Dominus est caput: & quod membris præ-
stat, M 6 statur,

statur, capiti præstatur. 4. Christus omnes suo sanguine redemit, & pro omnibus mortuus est. 5. Omnes justii templum sunt Spiritûs Sancti, in quo habitat.

Actus:

1. Affici erga omnes homines propter Deum.
2. Velle omnibus vera bona, æterna, & temporalia, & hæc quidem, in quantum ad æterna conducunt.
3. Bona hæc omnia pro viribus illis procurare, damna avertere.
4. Jucundam & gratam cum proximo conversationem instituere; quæ huic contraria sunt, vitare, qualia sunt contemptus, detractiones, mordacitates, oblocutiones.
5. Perfectam cum proximis concordiam observare, idem volendo, idem nolendo, gaudendo cum gaudente, flendo cum flente.
6. Multas pro ipsis difficultates & labores suscipere; imò ipsam etiam, si charitas exigat, vitam pro eis ponere.

Dilectio.

O quis proximum suum non sincerè diligit, cùm id adeò disertè Salvator noster mandet, ac præcipiat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem? Quis omnia*
ei

ei bona non faveat, cùm hoc discipulatùs Christi luculentum sit signum? *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritu ad invicem.* Quis omne bonum eis non procuret, cùm id, quod minimis præstamus, sibi Christus præstitum reputet? O charitas patiens, charitas benigna, charitas non ambitiosa, non cogitans malum, posside me, rege me, accende, ut maneam in Deo, & Deus in me sine fine.

Petitio.

Domine JESU, Magister & exemplar charitatis, qui pro amicis, imò & inimicis tuis animam posuisti; da mihi charitatem tuæ haud absimilem, quæ sit gratuita, pura, recta, discreta, vehemens & fructuosa: ut proximos meos, non tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate diligam, atque ita tuus evadam discipulus.

Aspirationes.

I. *Qui non diligit fratrem, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo diligere poterit? 1. Joan. c. 4. 20.*

II. *O quàm bonum, habitare fratres in unum! Nihil auditur dulcius, nihil optatur delectabilius: nec utilius possidetur. S. Aug. in Psal. 132.*

III. O diligam proximum sicut me-
ipsum ! imò plus quàm meipsum , sicut
Christus dilexit me , plus quàm seipsum !

P A S S U S XXXII.

Misericordia & Eleemosyna
Charitatis.

T E X T U S.

*Estote misericordes, sicut Pater
vester cœlestis misericors est.
Lucæ c. 6. 36.*

Cognitio.

Misericordia est virtus , quâ dolemus
& tristamur de miseria proximi; quam
si commodè possimus , à fratre depellimus;
& ei per auxilium spirituale vel temporale
subvenimus. S. Gregor. in Lib. de Beat.
Misericordes Christus beatos pronuntiat,
Matth. c. 5. Misericordiam suadet Tobias
Filio. Tob. c. 4. 8. S. Jacobus *judicium
sine misericordia* , minatur illi , *qui non fecit
misericordiam.* C. 2. 13.

Actus:

1. Exercere septem opera misericordiæ cor-
por